

poris præscriptione contra præsentem nostram dispositionem invaloribus &c. *deest lin. 52. & dimidium 53. lin. 57. per quasdam litteras l. per quoddam scriptum.*

Col. 328. deest linea 5. & dimidium sextæ. it. in lin. 8. jura, & jurisdictiones. it. regalia, dominia, & alia universa, & singula. a linea vero 13. ad lineam 18. sic ibi habetur: prædicta, sicut iuste possumus, conferimus, & auctoritate Romana Regia confirmamus, ut sicut eidem Ecclesiæ, & ejus plebi seminat spiritualia, ita etiam motere temporalia gratuletur, nostris ac sacri Imperii, & aliorum quorumlibet juribus circa supra scripta omnia, & singula semper salvis: atque hic finis imponitur diplomati, prætermisiss omnibus, quæ columna 328. 329. 330. 331. usque ad illam finalem diplomatum clausulam, quæ incipit lin. 27. nulli ergo omnino ec. Sic autem absoluebatur diploma: præsentibus venerabilibus Nicolao Patriarcha Aquilegiensi fratre nostro, Arnesto Archiepiscopo Pragenfi, Marquardo Augusten. Joanne Spoletan., & Egidio Vicentino Episcopis, & Illustribus Nicolao Opparie, & Wladislao Tessenen. Ducibus Principibus nostris dilectis, ac spectabilibus Johanne de Nürimberg, & Burchardo de Magdeburg Burggraviis, & Ludovico Comite de Ottingen fidelibus nostris dilectis, & multis aliis comitibus, & proceribus testibus ad præmissa, præsentium etiam sub nostræ majestatis sigillo testimonio litterarum. Datum Pisis anno Domini millesimo trecentesimo quinquagesimo quinto indictione VIII. VIII. idus februarii Regnorum nostrorum anno nono. infra per Dominum Jo. Episcopum Lucomuhlen Cancellar. Nicolaus de Cremfic. a tergo synchrono caractere. Diploma Caroli IV. Imperatoris pro Episcopo Guidone extensum Pisis, sed non expeditum; & Imperator de locis hic expressis investivit Johannem Paleologum Marchionem Montisferrati.

NCCCXV. Col. 338. n. 321. Quoniam hic mentio fit de Hospitali S. Spiritus civitatis Aquis, juvat, & alterius notitiam tradere cujus frequens mentio reperitur in documentis hujus civitatis, & Ecclesiæ scilicet nosocomii de Balneo. Primum illud S. Spiritus institutum erat ad pauperum sustentationem; Hoc vero de Balneo nuncupato pro infirmis, atque aegrotis Balneorum medicina, usque indigentibus. Utriusque constitutiones antiquissimas protuli in secunda parte col. 114. ad col. 123. Illud addendum circa Nosocomium s. Antonii de Balneo Ecclesiæ Aquensi, ac capitulo nullo mediante subiectum fuisse, atque ad Canonicos spectasse jus eligendi Rectorem illius ac ministrum, ut patet ex charta tabularii capituli anno MCCCLXXIII.

MCCCLXXIII.

Jacobus Aquensis Ecclesiæ electus dilectis nobis in Christo universis, & singulis, quos tangit negotium infra scriptum ec. Salutem in Domino. Ecce quod Ioanninus natus Antonii Aragoni Carlevarii de Aquis Clericus, & Presbyter Bartolomeus de Porta suo nomine, & tamquam procurator, & procuratorio nomine Presbyteri Rajmondi Fabri, ac etiam Ioanninus de Quiregio Canonici Aquensis Ecclesiæ coram nobis comparuerunt fidem

facientes, sicuti ipsi Canonici ipsum Ioanninum Rectorem Hospitalis s. Antonii de super Balneo de Aquis vacante Rectore per obitum Andreæ Belle-rato olim Rectoris ipsius elegerunt, requirentes a nobis humiliter, & instanter sibi dicto Iohannino investituram, & confirmationem de Hospitali prædicto, & de omnibus juribus spiritualibus, & temporalibus spectantibus ad eundem in corporalem possessionem omnium prædictorum, & ideo præsentium tenore vos omnes, & singulos monemus ec. quatenus, si vestra interest, vel intenditis aliquid dicere, vel opponere contra personam dicti electi, vel contra illos, qui eum elegerunt, debeatis coram nobis legitime comparere intra IX. dies proxime venturos post harum affixionem ad valvas Ecclesiæ Aquensis ec. Datum in Castro Tertii die VI. septembr. anno millesimo CCCLXXIII. Indic. X. &c. Ego Oddonus Turrius de Castro novo Iacisæ ec. Not. & D. Electi scriba ec.

In Tabulario capituli de huiusmodi hospitali nonnullæ aliæ reperiuntur chartæ, quas summatim referam. MCCCCXXXV. Bonifacius Episcopus confirmat quandam venditionem emphiteuseos domus s. Antonii de balneo: eodem anno idem Episcopus investituram concedit domus hospitalis s. Antonii de Balneo. Anno MCCCCXLV. die IV. januarii coram Aquensibus Canonicis idem Episcopus confirmat quandam conventionem inter Jacobum de Ligeriis Can. Aquen., & Rectorem hospitalis de Balneo, & Mattheum de Aran-camiliis.

MCCCCXLV. col. 339. n. 322. In fine hujus apographi habebatur satis diligenter expressum hujus Episcopi sigillum, cujus hoc esto exemplum.



MCCCLXVII. col. 345. n. 329. Si conferatur hæc charta cum aliis pluribus, quas hic edidi, pro certo habeo neminem nisi præjudicatæ opinionis virum inficiari in posterum ausurum Guidonem III., ac Episcopos Aquenses nullam in civitatem Alexandriæ ejusque suburbicarias regiones jurisdictionem exercuisse, ac proinde haud falsum illum fuisse, cum in solemnem Imperatoris curia in diplomate Caroli IV. describi curavit suam in Alexandriæ spirituali procuracione sollicitudinem (Quod mirum est spectatissimi illius civitatis viri in mentem venire potuisse) at præstat adhuc nonnullis aliis documentis rem confirmare.

In eodem chartaceo volumine Quiregii Notarii, ex quo quam plura de Guidone in mea hac collectione derivata sunt, ad annum MCCCLXV. XIV. aug. (non. XV. II. aug. sub qua die a V. C. Chenna pag. 164. refertur)